

clesia canit, Sine tuo numine, nihil est in homine, nihil est innoxium,

## XXI.

De cultu Sanctorum docent, quod memoria Sanctorum proponi potest, ut imitemur fidem eorum, & bona opera iuxta vocationem, Ut Cæsar imitari potest exemplum Davidis in bello gerendo ad depellendos Turcas à patria. Nam uterque rex est. Sed scriptura non docet inuocare Sanctos, seu petere auxilium à Sanctis, Quia unum Christum nobis proponit mediatorem, propiciatorium, Pontificem, & intercessorem. Hic inuocandus est, & promisit se exauditurum esse preces nostras, & hunc cultum maxime probat, videlicet, ut inuocetur in omnibus afflictionibus, 1. Ioan. ij. Si quis peccat, habemus aduocatū apud Deum &c.

Hæc fere summa est doctrinæ apud nos, in qua cerni potest, nihil inesse quod discrepet a scripturis, vel ab Ecclesia Catholica vel ab Ecclesia Romana, quas tenus ex scriptoribus nota est, quod cum ita sit, inclementer iudicant isti, qui nostros pro hæreticis haberi postulant. Sed dissensio est de quibusdam abusibus, qui sine certa autoritate in Ecclesias irrepsērunt, in quibus etiam, si qua esset dissimilitudo, tamen decebat hæc lenitas Episcopos, ut propter confessionem, quam modo recensuimus, tolerarent nostros, quia ne Canones quidem tam duri sunt, ut eosdem ritus ubique esse postulent, neque similes unquam omnium Ecclesiarum ritus fuerunt. Quanquam apud nos magna ex parte veteres ritus diligenter seruantur. Falsa enim

enim